



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1849**

X. Markgraf Woldemar incorporirt der Stadt brietzen das Dorf Durchbrietzen, i. J. 1311.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

**IX. Privilegium der Markgrafen Otto, Conrad, Johann und Woldemar für das Kloster Zinna wegen der Mühlen in Briezen, vom 3. Mai 1303.**

Otto et Conradus, Johannes et Woldemarus Dei gratia Brandenburgenses et Landesberg Marchiones, Vniversis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, ad quos presens scriptum pervenerit, notitiam subscriptorum. Ne ea, que geruntur in tempore, simul labantur cum fluxu temporis, expedit ut ea, que coram principibus aguntur, voce testium et litterarum testimonio perhententur. Hinc est, quod tenore presentium publice protestamur, quod de unanimi nostrorum heredum omnium consensu aquam Nipliz a prima sui origine, ultra, intra et infra civitatem Brizna cum omnibus agris rivulis et aquarum decursibus eam incidentibus, usque ad pontem Kemnitz cum aqua Sernow, Stenbegk, Retyz, Coltbek et Goltbeck et Nichele, ceterisque omnibus aquis in nostro dominio territorii Brizne consistentibus, vendidimus et propter Deum contulimus Abbati et conventui Claustris Czenne absque contradictionibus cujuslibet possidendam; Ita quod nullus Advocatorum nostrorum seu Burgenfium in Brizna aut quorumlibet hominum nostrorum aliquod molendinum supra praedictas aquas aut quaslibet alias nostri Domini nec aliqua ventorum molendina seu queque alia in omni circuitu Brizne per unum milliare de novo presumat nec debeat edificare, Cum hoc quidem esset detrimentum predictorum plurimum monachorum, prohibentes nihilominus omnes curus extraneorum molendinorum, que ad predictum claustrum non pertinent, in perpetuum civitatem Briznam ingredi sub nostri favoris obtentu, Quippe cum ipsi monachi molendina omnibus sufficientia jam habeant aut certe habituri sunt in aquis nominatis, Volentes ne ipsi monachi vecturam teneant ulterius, Sed quisque annonam suam molendam importet per se, ut omnia in pace et concordia perseverent. Confirmantes eisdem omnes areas seu curias molendinorum veterum cum novis et loca stagnorum quod est mölentigk, Et si quas curias et areas molendinis necessarias comparare poterunt cum omnibus deductionibus aquarum predictarum et molendina supradicta, ita tamen ut si cujuscumque Burgenfium agrum in fodendo indigerint, amicabiliter quantum indigerit, persolvant. Adjicimus insuper, quod quandocumque illustris frater noster Henricus Marchio fuerit nobis reformatus, quod ex tunc exposcere debemus apud ipsum, quod hec omnia supra dicta suis sigillis ac patentibus litteris approbabit. In cujus rei evidentiam presens damus scriptum nostris sigillis munitum. Hujus rei testes sunt Carolus de Wedele, Conradus dapifer, Conradus de Redere, Otto de Ronys, milites et quam plures alii fide digni. Actum et datum in Havelberg Anno Domini M. CCQ. III. Quinto non. Maji per manus Zacharie nostre Curie Notarii.

**X. Markgraf Woldemar incorporirt der Stadt Briezen das Dorf Durchbriezen, i. J. 1311.**

Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis, Lusatiae et de Landesbergk Marchio, tutorque incliti Iohannis Marchionis de Brandenburg dilectis suis Burgenfibus in Bryzena gratiam suam et omne bonum. Nos recognoscimus presentibus publice protestantes quod villam Durch Briznam cum mansis, pratis, pascuis, silvis, viis, et inuis ceterisque omnibus attinentiis suis et quinque talenta denariorum in moneta, quod dicitur Sleischat, cum omni iure ciuitatensium in ciuitatem vestram imponimus ad vsu vestrum et vtilitatem perpetuo iure firmissime appropriantes, Ita quod neque nos

neque aduocati nostri et capitanei seu aliqui ex parte nostra seu successorum nostrorum de iam predictis bonis debeamus nobis ius aliquod in perpetuum vsurpare, pro qua re nos fatemur Nos ducentas Marcas argenti Brandenburg. ad redemptionem ciuitatis nostre Brizene de manibus illorum de Roseberch in compositione omnium discordiarum Domini abbatis et Conuentus de Cynna in perpetuum vobiscum facta paratissime recepisse. Testes huius donationis sunt Dominus Olricus de Rupyn, Dapifer nostre curie, et Dominus Güntherus de Keuernbergh, Comes, Dominus Hinricus prepositus in Grantzoie et Sloteko prothonotarius noster, Gheuehardus de Aluensleue, Nicolaus et Bernhardus de Buch, et Mathias de Bredoue aduocatus in Rhatenou, milites, ceterique plurimi fide digni. Datum Monekenbergh sub appensione sigilli nostri anno domini M. CCC. XI.

#### XI. Herzog Rudolphs von Sachsen Privilegium für die Stadt Brieg, vom 4. Nov. 1319.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue unitatis, Rudolphus, Dei Gratia Dux Saxonie, Angharie et Westphalie, Comes in Brene, Purchgravius in Magdeburch, Vniuersis et singulis Christi fidelibus, ad quos presentes littere pervenerint, salutem in perpetuum. Acta modernorum ideo privilegii roborantur, ne ut quandoque fieri solet, maliciose infringantur. Noverit igitur presens etas et sciat postera, quod de matura nostrorum discretorum consilio ac diligenti deliberatione adhibita civitati nostre Brizene ac omnibus civibus ibidem nunc et in perpetuum residentibus universa ac singula iura, omnesque proprietates libertates et consuetudines, quas ipsi cives ab antiquis temporibus a suo antiquo domino habuerunt, damus et donamus pariter et approbando confirmamus, prout in instrumentis super hiis confectis plenius continetur. Insuper volentes dictam civitatem Brizene et ipsius civitatis cives speciali prosequi gratia et favore damus predictae civitati et incolis ejus, quod de cetero in perpetuum a iudicio quod proprie dicitur goeding ipsi cives debent esse liberi et immunes et quod nullum castrum in eadem civitate volumus deinceps edificare seu munire ac fundum vel locum, in quo quoddam castrum quondam situatum erat vel constructum, Damus etiam premissae civitati Brizene atque civibus sepe dictis ad eorum utilitatem et profectum et ut idem locus castri jure fruatur civitatis. Ne igitur super hac nostra donatione et confirmatione in posterum alicui dubium oriatur aliquid, ne a nostris successoribus infringatur, presentes litteras conscribi iussimus et munimine nostri sigilli duximus firmiter roborandas. Testes huius donationis et confirmationis sunt Johannes de Glyndenberch, anno de Sydowe, Thydericus de Grepitz, Loferus, Rule dictus de Drifulen et quam plures alii, quorum fides nullatenus est neganda. Actum et datum per manum Thyderici sub annis Domini Milleesimo tricentesimo decimo nono, Dominica proxima post omnium sanctorum.

#### XII. Auszüge aus dem Treuenbriegner Schöppenbuche, v. J. 1324 f.

Incipit liber scabinorum.

Anno domini M°. C°C°C°. XXIII° feria secunda in crastino circumcissionis domini ihesu christi incipit hic scabinorum liber recens. Judicantes omnium gestorum habere recordationem diuinum